Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

95

famulus dei. Quidam de regione eius uidentes que in eo fiebant, accesserunt ad eum dicentes: Quid hoc fecisti? Nemo enim de regione nostra factus est christianus; et ecce fecisti nobis ridiculum. Ipse uero iniuriabat eos et repellebat. At illi uersi in insaniam et per singulos dies accedentes euellebant barbam eius, et percutientes eum scindebant uestimenta eius. Sed et saxum magnum quod unus ex eis baiolabant, imponebant ei, habenti unam catenam in collo et aliam in pedibus. Adurgentes ei etiam multa et acriora tormenta, fortissimus autem athleta ferebat hec omnia gaudens propter christum. Tunc iussit tirannus Marzabanas adduci eum et dixit ei: Si uere ut dixisti magi filius fuisti et scis artem magicam, dic mihi aliqua ex eis ut cognoscam. Ipse uero respondens ait: Non det mihi deus ut egrediatur quicquam huius modi ex ore meo. Dicit ei Marzabanas: Ergo permanes in his? Conuertere in primam tuam religionem; nam si nolueris, scribam imperatori de te. Beatus Anastasius dixit: Scripsisti et recepisti rescripta; fac quod uis. Cui Marzabanas ait: Non scripsi, sed scribam, et quicquid mihi iusserit faciam. Cui beatus Anastasius respondit: Vade et scribe quanta uolueris mala de me; ego enim christianus sum. Dicit Marzabanas: Ponatur et cedatur, usque dum consentiat facere que ei iubentur. Cumque cepissent eum fustibus cedere, dicit sanctus Anastasius: Expoliate me ut non iniurientur uestimenta mea, et sic cedite carnes meas. Hec enim que facitis ludibria sunt; me autem si membratim abscidatis, non negabo christum meum. Item dicit ei [illegible] Marzabanas: Acquiesce mihi; nam scribo imperatori de te. Beatus Anastasius respondit: Vade, scribe imperatori tuo quicquid uolueris. Et Marzabanas ad eum: Quid, quia non times imperatorem? Beatus Anastasius respondit: Quare habeo timere imperatorem tuum? Numquid non est homo sicut et tu? Et sicut morieris, non morietur? Et sicut corrumperis, non corrumpetur? Quem quomodo magis metuam, illum qui corrumpitur sicut tu, simile tibi lutum, aut christum qui fecit celum et terram, mare et omnia que in eis sunt? Stupefactus autem superbus ille super fidem martyris, iussit eum duci in castrum; et post dies paucos iussit eum assisti coram se et dicit ei: Accipe magicam tuam et sacrifica, ut non moriaris. Respondit dei famulus et dicit ei: Quibus diis iubes me sacrificare? Soli et lune et igni et montibus et collibus? Hec omnia christus fecit ad hominum seruitium; uos uero errando seruitis demonibus, ignorantes deum qui fecit uos. Si enim nouissetis christum, habuissetis

eum ad lucem et erui a demonibus qui errare uos faciunt. Et quia non mentitur deus uerus qui promisit pro nomine suo passuris dare os et sapientiam cui non poterunt resistere aduersarii eorum, loquente beato Anastasio stupebant contrarii dei. Martyr uero tantis coronatus confessionibus ducebatur ad castrum uinculis ornatus propter christum. Cognoscens autem sanctissimus abbas monasterii de quo erat martyr christi stabilitatem et copiosam alacritatem perseuerantie eius in christo, gauisus est gaudio magno cum uniuersa congregatione sua, et supplicabat deo die noctuque cum uniuersis fratribus ut consummaret cursum eius. Et dirigens duos fratres in Cesaream ad beatum Anastasium litteris ac decretis confortauit alacritatem eius. Cum uero esset in custodia martyr christi Anastasius, non cessabat psalmis et ymnis glorificare dominum, habens secum coniunctum iuuenem quendam per quandam causam; et nolens contristare eum, cum surgeret ut celebraret consuetum canonem dei, super inclinabat se uincto iacenti, tenens pedem suum iuxta pedem eius, ut non per catenarum extensionem faceret ei laborem. Vna igitur noctium psallente beato Anastasio, quidam deuinctus hebreus professione, clemens, nobilior moribus quam uestibus, uidens beatum Anastasium martyrem die quidem in lapidum asportatione laborantem, nocte uero deprecationem deo facientem, stupebat admirans quid nam esset hoc. Et diu intuens in eum, iacens super pauimentum, subito uidit aliquos ueste dealbatos, postium carceris in matutinis horis, cum esset in silentio noctis, ingredientes ac circumdantes beatum Anastasium martyrem, et lux copiosa refulsit. Amens uero factus super contemplatione hac, dixit intra se: Isti angeli sunt. Hoc autem existimans uidit eos palleis circumdatos, habentes cruces in manibus, et dicit in semetipso: Isti episcopi sunt. Intuens autem martyrem christi Anastasium uidit eum splendide indutum sicut et ceteros, et iuuenem quendam in magna gloria stantem ante eum et habentem thuribulum et incensum inmittentem. Aspiciens autem hec omnia, cepit pulsare proximum suum manu ut ostenderet ei que uidebat, et non poterat, quia manebat amens. Territus uero factus interrogabat ab eo quid hoc esset. Dicit ei hebreus: Cernis hoc? Et intuentes iam nichil uiderunt. Narrauit igitur ei ille omnia que uiderat, et glorificabant unanimiter dominum. Et quia ut supradictum est in prima et secunda interrogatione didicit Marzabanas inmobilitatem serui dei Anastasii, scripsit imperatori de eo. Contigit autem intra paucos dies suscipere Marzabanan